MASTER NEGATIVE NO. 92-80628-9

AUTHOR:

FUHRMANN, CARL

TITLE:

DE PARTICULARUM COMPARATIVARUM ...

PLACE:

GRIPHISWALDIAE

DATE:

1869

Master Negative #

92-80628-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Fuhrmann, Carl, 1835-
De particularum comparativarum usu Plautino particula I; dissertatio philologica quam... scripsit ...Carolus Fuhrmann... Griphiswaldiae, typis Friderici Hache, 1869.
46 p. 20 cm.

Thesis, Greifswald, 1869.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-7-93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

PARTICULARUM COMPARATIVARUM USU PLAUTINO

PARTICULA I.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIII MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXIX

H, XII. L. S.

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

CAROLUS FUHRMANN

MARCHICUS

ADVERSARII ERVNT:

H. SCHULTZ, GYMN. GRYPH. PRAEC.
E. BOECKER, DR. PHIL.
A. LANGER, CAND. PHIL.

GRIPHISWALDIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

MDCCCLXIX.

HERMANNO USENERO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SACRUM.

Plauti comoedias, antiquissima poesis latinae monumenta, postquam satis diu neglectae iacuerunt, denique Fr. Ritschelius vir doctissimus et ingeniosissimus ad germanam formam ac speciem revocare aggressus est. Qui quantum in hoc arduo ac difficili opere profecerit, vix opus est moneam; optimo iure eum Plauti sospitatorem appellare possumus. Quamquam enim abhinc plures annos manum suam ab hoc poeta retraxit et opus tam felici successu inchoatum imperfectum reliquit, excitavit tamen egregio suo exemplo studia aliorum, qui, quam ille demonstravit, via longius progredi conati sunt. Qua de re quis non maxime laetetur! Nam quum omnino veteres scriptores, tum hunc omnium veterrimum nisi coniunctis viribus emendari et quantum eius fieri potest ad pristinam formam redigi non posse nemo sane, qui, quam multis et quam gravibus vitiis huius poetae textus deturpatus sit, cognoverit, non concedet. Sed Ritschelius ipse, dux atque princeps in studiis Plautinis ad nostrum poetam iam revertit; et liber nuperrime ab eo editus*) nos sinit sperare eum opus suum perfecturum et omnes poetae fabulas editurum esse. Quantum enim ex his fabulis, quae solae puro sermone vulgari conscriptae sunt, ad linguam

---

*) Neue Plautinische Excurse. Leipzig 1869.

latinam recte cognoscendam erui possit, quisque, qui eas diligentius pertractaverit, facillime sibi persuadebit.

Ante quattuor fere annos quum Usenerus praeceptor mihi dilectissimus Plauti Pseudolum interpretaretur, in syntactica quaedam huius poetae phaenomena animus meus coniectus est, in quae accuratius inquirere iam tum constitui. Gravissimo autem morbo afflictus plus annum ab hac quaestione desistere coactus sum. Quum vero viribus refectis a. h. s. LXVII Bonnam me contulissem, quaestionem illam denuo suscepi et phaenomena illa explicare studui. In quibus explicandis quae effeci data occasione publici iuris faciam. Praeter haec autem phaenomena simul etiam ad particulas comparativas animum attendi; in quas tamen accuratius inquirere tum demum incepi, ubi perlegi, quae Fleckeisenus in annalibus suis (1867 vol. IX. p. 630 sq.) publicaverat. Partem huius quaestionis in iisdem annalibus (1868 vol. XII. p. 841 sq.) edidi, quam tamen in hunc libellum, ne quid desideraretur, recepi.

Sunt autem tres potissimum particulae, quibus Plautus in enuntiatis comparativis usus est „quam, ut, quasi,“ quas nunc iam accuratius spectemus. *)

Ac primum quidem eam particulam, quam poeta in comparationibus, in quibus de attributorum gradu agitur, adhibuit.

---

*) Consensu amplissimi philophororum ordinis hanc tantum dissertationis particulam typis exprimendam curavi.

*) In indicandis locis afferam versus secundum actuum et scaenarum discriptionem vulgatam; ex iis autem fabulis. quas Ritschelius et Fleckeisenus ediderunt, adscribam simul eos numeros, quibus illi viri usi sunt.

I.

De particula quam.

Post comparativum rem comparatam, si adicitur per particulam „quam“ exprimi nemo ignorat. Liceat mihi omnes huc pertinentes enuntiationes afferre, ex quibus paucos tantum locos exscribam et praecique eos, ad quos habeo quod adnotem.

Amph. I, 3, 8. (505) Cítius quod non fáctost usus fít quam quod factóst opus. III, 2, 29 sq. (910 sq.) Nam númquam quidquam méo animo fuit aégrius Quam póstquam audivi, ted esse iratum mihi. V, 2, 3 sq. (1133 sq.) quae futúra et quae facta éloquar, Multo adeo melius quam illi. Asin. I, 1, 48. (63.) Posterius istuc dicis quam credo tibi. II, 2, 2. (268.) Ut ego illos lubentiores faciam quam lubentiast. IV, 2, 11 sq. (820 sq.) me honestius Quam te palam hanc rem facerest. V, 2, 49. (893,) Edepol animam suaviorem aliquanto quam uxoris meae Aul. pr. 16 sq. Coepi opservare ecqui maiorem filius Mi honorem haberet quam eius habuisset pater. I, 2, 36. sq. et me benignius Omnes salutant quam salutabant prius. II, 9, 5 sq. tu istum gallum, si sapis, Glabriorem reddes mihi quam volsus ludiust. III, 5, 8. Et invidia nos minore utamur quam utimur. 10. Et nos minore sumtu simus quam sumus. 18 sq. Hoc ita si fiat, mores meliores sibi Parent pro dote quos ferant quam nunc ferunt. 24 sq. equidem dotem ad te attuli Maiorem

multo quam tibi erat pecunia. cf. Capt. I, 2, 10 sq. (119 sq.) II, 3, 83. (443.) III, 2, 1 sq. (498 sq.) 5, 58. (716.) 61 sq. (719 sq.) 80. (738.) V, 1, 19. (939.) 2, 22. (975.) Curc. II, 2, 6. (256.) IV, 3, 15 sq. (547 sq.) V, 1, 1 sq. (591 sq.) Cas. pr. 9 sq. 73 sq. II, 3, 47. III, 1, 6. V, 2, 9. Colloco, fulcio, mollio, blandior, At prior quam senex nuptias fecerat *) 4, 29. Cist. I, 1, 98 sq. II, 1, 2 4 sq. Epid. II, 1, 10. III, 2, 35. 44. Bacch. I, 1, 6. (40.) 2, 54 sq. (164 sq.) II, 3, 21 sq. (255 sq.) III, 3, 58. (464.) 4, 8. (651.) 8, 70 sq. (911 sq.) Most. I, 1, 69 sq. (72 sq.) 3, 131. (289.) III, 1, 1 sq. (532 sq.) 13. (544.) 78 sq. (607 sq.) 128 sq. (657 sq.) 2, 6. (695.) 20 sq. (709 sq.) 139. (824.) V, 1, 66. (1115.) Men. I, 3, 10. (192.) II, 1, 1 sq. (226 sq.) III, 1, 1 sq. (446 sq.) 2, 22 sq. (487 sq.) V, 6, 3 sq. (968 sq.) 15 sq. (979 sq.) 9, 29 sq. (1088 sq.) Nam hominem hominis similiorem numquam vidi ego alterum Neque aqua aquae neque lacte lactis mihi crede usquam similiust. Quam hic tuist tuque huius autem.**) Mil. gl. I, 1, 1 sq. II, 1, 50. (128). 3, 80. (351.) 6, 32 sq. (512 sq.) 70 sq. (551 sq.) Nam ex uno puteo similior numquam potis Aqua aquai sumi quam haec est atque ista hospita.***) III, 1, 70 sq. (664 sq.) 117. (711.) 208 sq. (803 sq.) IV, 7, 10 sq. (1293 sq.)

*) Sic Geppertus hos versus scribit. „Blandior" in solo codice Ambros, exstat. In altero versu Geppertus vocem „ut" quam omnes codices exhibent non recte, ut mihi videtur, in „at" mutavit. Equidem hunc versum sic scribere malim. Ut prior quam senex núptias fáciam.

**) Sic Ritschelius opusc. II. p. 573. libri: crede mihi.

***) De hoc versu quid mihi statuendum esse videatur, alio tempore exponam.

8, 44 sq. (1354 sq.) Merc. I, 2, 30 sq. (141 sq.) II, 3, 109 sq. (446 sq.) IV, 3, 15 sq. (714 sq.) 6, 1 sq. (805 sq.) Ecastor lege dura vivunt mulieres Multoque iniquiore iure quam viri. *) 13, (877) Pseud. I, 2, 19. (152) 3, 47. (281.) 94. (328.) 5, 23 sq. (438 sq.) II, 2, 74 sq. (669 sq.) III, 2, 3 sq. (792 sq.) IV, 1, 17. (928.) 3, 1 sq. (1017 sq. Poen. III, 1, 3 sq. 2, 4. III, 2, 8 sq. 3, 80 sq. IV, 2, 3 sq. 53 sq. V, 2, 14. 5, 11 sq. Ita replebo (eam) atritate, atratior multo ut siet Quam Aegyptini.**) 33 sq. Pers I., 3. 73. (153) 2, 2. (184.) 27. (209.) 55. (237.) 62, (244.) III, 3, 30 sq. (435 sq.) 37 sq· (442 sq.) IV, 3, 70 sq. (540 sq.) Rud. pr. 20. 26 sq. I, 2, 14. (102.) 57. (145) 4, 19. (239.) II, 2, 16. (322.) 6, 24 sq. (508 sq.) 37. (521) III, 2, 4 sq. (618 sq.) 4, 46. (751.) 48 sq. (753 sq.) IV, 4, 70. (1114.) Stich. I, 2, 40. (97.) 52 sq. (109 sq.) 68. (125.) II, 2, 20. (343) IV, 2, 47. (627.) Trin. I, 1. 13 sp. 2, 162 sq. (199 sq.) II, 2, 117. (388) 3, 2. (393.) 4, 58 sq. (459 sq.) III, 1, 8 sq. (609 sq.) 2, 9. (635.) 60 sq. (686 sq.) IV, 2, 58 sq. (903 sq.) Truc. II, 5, 17. 7, 66. 8. 5 sq. IV, 1, 1 sq. 3, 32. V, 56.

*) Ita cum Bergkio (index schol. Hal. 1858—59 p. VI.) hunc versum scribo. Libri pro „iure" praebent „miserae" cuius vocabuli collocationem a consuetudine Plautina abhorrere iam Ritschelius adnotavit et corruptelam aliquam subesse arguit, cf, Most. III, 1, 128 sq. (657 sq.)

**) Codices omnes „replebo." Ambrosianus Gepperto auctore: ATR . . . OR. reliqui „atrior." Geppertus ex iis, quae hodie in Ambros legi possunt, recte formam atratior eruisse videtur, Cur vero „replebo" in "replevero" mutaverit, non intellego, Haud dubie et metro et sententiae melius medemur, si „eam" inserimus.

Comparativus „magis" quum maiorem qualitatem designet, et cum adiectivis vel adverbiis et cum verbis coniungi potest. Hunc comparativum apud Plautum non solum iis adiectivis et adverbiis, quibus ad comparativum designandum propria forma deest, sed etiam iis, quae in comparatione formae suae mutationem admittunt, invenimus adiectum, interdum etiam comparativis. Amph II, 1, 48 sq. (595 sq.) Neque tibi istuc mirum (mirum) magis videtur quam mihi. *) Quo modo? nihilo, inquam, mirumst magis tibi istuc quam mihi. 54. (601.) Neque lac lactis magis est simile quam ille ego similis est mei. 2, 48. (680.) Nam haec maritum suum salutat magis haut quiquam quam canem. Asin. I, 3, 10. (162.) Magis istuc percipimus lingua dici quam factis fore. III, 3, 27. (573.) Ubi amicae quam amico tuo fueris magis fidelis. 3, 99 sq. (689 sq.) Magis decorumst Libertum potius quam patronum onus in via portare. IV, 2, 13 sq. (821 sq.) Ne illa existumet Amoris caussa percitum id fecisse te Magis quam sua caussa. cf. Aul. III, 2, 8. 5, 9. Capt. II, 2, 71 sq. (321 sq.) 3, 39. (399.) 65. (425.) III, 4, 91. (623.) IV, 2, 72 sq.(852 sq.) Curc. II, 3, 26. (305) Cas. II, 2, 12 sq. 3, 8. 46. Cist. IV 1, 1 sq. Epid. III, 4, 17 sp. Bacch. I, 1, 21. (55.) III, 3, 24 sq. (428 sq.) IV, 3, 7. (619.) 4, 27. (678.) 86. (738.) Most. I, 3, 40. (197.) IV, 1, 46 sq. (573 sq.) V,

---

*) De hoc versu cf. Spengel. in libro qui inscribitur, „Titus Maccius Plautus" pag. 22. In codd. alterum „mirum" non reperitur. Fleckeisenus, ut metrum, restitueret, inter „tibi" et „istuc" „Amphitruo" inseruit.

1, 25. (1073.) 2, 40 sq (1162 sq.) Men. I, 2, 30. (139.) II. 3, 12 sq. (362 sq.) IV, 2, 6. (575.) Res magis quaeritur quam cluentum fides Quoimodi clueat *) IV, 3, 1, (675.) Mil. gl. II, 3, 43. (314.) III. 1, 21. (615.) 28. (622) 31. (625.) IV, 2, 94. (1086.) 6, 48. (1263) Merc. III, 4, 33. (615.) Ne tibi istuc magis dividiae non est quam mi hodie fuit **) Poen. I, 2, 91. Meretricem pudorem gerere magis decet. quam purpuram***) 187 sq. 3. 18. III, 5, 7. V, 4, 22. 5, 39. Pers. I, 2. 13 sq. (65 sq.) II 2, 49 sq. (231 sq.) 5, 4. (305.) IV, 4, 108. (660.) Rud. I, 4, 8. (227) Stich. I, 1, 8. (6 sq.) IV, 1, 24 sq. (529 sq.) V, 7, 5. (773.) Trin. II, 1, 38 sq. (274 sq.) III 2, 64 sq. (690 sq.) IV, 3, 31. (1038) Truc. II, 1, 6. III, 1, 17 sq. IV, 2, 9. 19. 3, 26, 4, 34. V. 26.

Comparativus „plus" quum quantitatem vel numeri vel copiae significet, cum adiectivis et adverbiis coniungi non potest; rarissime cum verbis coniungitur. Amph. I, 1, 281. (437.) Nam iniurato scio plus credet mihi quam iurato tibi. II, 1, 63. (610.) Mihi quidem uno te plus etiamst quam volo. 2, 11. (641.) Plus aegri ex abitu mei viri quam ex adventu voluptatis cepi. Asin. I, 1, 72. (84.) Adduxit quoi plus in manu sit quam tibi. II, 4, 29. (435.) Neque eo esse

---

*) De hoc versu vide Ritschel, opusc. II, p. 727. (693.)

**) Ita Ritschelius hunc versum scribit. Bergkius Ztschr, f. A W. 1855. p. 292 huius versus hanc praebet formam. Non tibi istuc magis dividiaest quam mihi hocedie fuit: quam lectionem nunc. Ritschelius quoque probat N. Pl. Exc. p. 95.

***) De hoc versu cf. Ritschel opusc. II p. 285.

servum in aedibus eri qui sit pluris quam illest. IV, 1, 28. (773.) Ne minus illa aut plus quam tu sapiat. cf. Aul. III, 5, 31 sq. Capt. pr. 45. III, 4, 40. (572.) V, 3, 18. (995.) Curc. IV, 4, 23 sq. (579 sq.) Cas. II, 3, 27. 6, 4. 7. 8, 28. III 4, 18. 5, 41 sq. Cist. I, 2, 3 IV, 2, 41. Epid. I, 1, 63. II, 2, 72 sq. III, 1, 14 sq. 2, 11. V, 2, 10 sq. Bacch. I, 2, 14. (122.) IV, 3, 17, (630.) Most. I, 3, 5. (161.) Mac. IV. 2, 25 sq. (592 sq.) 3, 6. (680.) Mil. gl. II, 2, 81. (236.) 4, 15 sq. (368 sq.) 5, 67. (477) III, 1, 43. (637) IV, 6. 44, (1295.) Merc. II, 28. (299.) 4, 23. (491.) III, 1, 15. (514.) Rud. II, 4, 32. (453.) 6, 20. (504.) III. 3, 27 sq. (689 sq.) IV, 3, 27. (966.) V, 2, 18. (1305.) Stich II, 2, 15. (339.) Trin. I, 2, 13. (51.) Truc. I, 2, 45 sq. Nam nunc lenonum et scortorumst plus in foro Quam olim muscarum quom caletur maxume *) 49 sq. II, 2, 41. 4, 23. 6, 6 sq. 12. IV, 2, 42. 3, 29.

Ut, „magis“ ita etiam „minus“ cum adiectivis et adverbiis coniungitur et debet coniungi, si minor attributivi gradus designandus est; quum linguae latinae aeque ac nostrae propria forma ad minorem attributivi gradum designandum desit. Amph. pr. 27 sq. Juppiter Non minus quam vostrum quivis formidat malum. III, 4, 3 sq. (986 sq.) Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier Populo, ni decedat mihi, quam servulo in comoediis? Aul. III, 2, 10. An quia minus (quam [me] aequom erat feci. **) Cf. Capt. II.

---

*) De hoc versu cf. Kiessling in Fleckeis. annal. 1868 IX p. 621.

**) „Me“ inseruit Brixius, quem secutus est Wagnerus.

3, 70. (430.) Cas. II, 8, 19. Epid. I, 1, 10. V. 1, 54. Bacch. IV. 4, 21. (672.) Most. IV, 1, 27. (883.) Men. V, 7, 44. (1033.) Merc. II, 3, 89. (425.) IV. 3. 17 sq. (716 sq.) Pseud. IV, 2, 1. (956.) Rud. II, 5, 3. (460.) IV, 3, 81 sq. (1020 sq.) Stich. III, 2, 42. (498.) Trin. II, 4, 129. (530.) Truc. I, 1, 43 sq. II, 3, 1 sq. 5, 3 sq. III, 2, 6.

Si indicatur alteram rem praeferri, alteram postponi, comparativus „potius“ usurpatur. Asin. I, 3, 40. (192.) Quia nobis lucro fuisti potius quam decori tibi. Aul. IV. 2, 11. Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris quam mihi. 6, 10. Certumst Silvano potius credam quam Fide. Cf. Capt. II, 2, 51. (301.) Curc. IV, 4, 4, (560.) Cas. II, 3, 36 sq. Super ancilla Casina ut detur nuptum nostro vilico, Servo frugi (atque ubi illi bene sit ligno aqua calida, cibo, Vestimentis ubique educat pueros quos pariat bene) Potius quam illi servo nequam (des armigero) atque improbo *) II, 3, 50. 8, 60. Cist. III, 2. Mil. gl. IV, 1, 5. (951.) 2, 4. (994.) Merc. II, 3, 122. (460.) Pseud. II, 3, 90. (880.) Poen. V, 2, 42. Pers. III, 1, 11 sq. (339 sq.) 47. (375.) Rud. III, 2, 7. (621.) IV, 4, 4. (1048.) 27. (1071.) Stich. V, 4, 21 sq. (698 sq.) Trin. II, 2, 30. (310.) IV, 2, 79. (924.) 3, 21 sq. (1028 sq.) Truc I, 1, 19 sq. II, 4, 92 sq.

Post comparativum „amplius“ Men. V, 2, 49. (800.) Multo tanto illum accusabo quam te accusavi amplius.

---

*) Verba, quae uncis inclusi, interpolata esse puto.

Post „secus et sectius.“ Asin. V, 3, 2. (943.) Neque novom neque mirum fecit nec secus quam alii solent. Cf. Capt. II, 1, 49. (247.) 3, 68. (428.) Men. V, 7, 58. (1047.)

Post „satius.“ Amph. IV, 1, 9 sq. (1017 sq.) Nam me quam illam quaestionem inquisitam hodie amittere Mortuom satiust. cf. Epid. I, 1, 57. Bacch. I, 2, 43. (150.) III, 2,11. (395.) IV, 9, 122 sq. (1045 sq.) Poen. I, 2, 75. Stich. V, 4, 10. (692) Trin. II, 2, 30. (312.)

Post „alius (aliter)“ sive sententia sit affirmativa sive negativa. Asin. I, 3, 83. (236.) Nec quemquam interea alium admittat prorsus quam me ad se virum. cf. Cas. II, 5, 37. Mil. gl. II, 3, 80. (351.) Pseud. IV, 8, 2 sq. (1239 sq.) Stich. I, 1, 42 sq.

Post „aeque, adaeque“ si sententia est negativa. Epid. II, 3, 1 sq. Nullum esse opinor ego agrum in (omni) agro Attico *) Aeque feracem quam hic est noster, Periphanes. cf. Mil. gl. II, 5, 54 sq. (464 sq.) Stich. I, 3, 64.) 217.) Ridiculus aeque nullust (quam hic) quando esurit. **) II, 1, 1 sq. (274 sq.)

In his enuntiatis libri post „aeque“ particulam „quam“ praebent; in aliis autem, quae item sunt negativa, non „quam“ sed „atque“ invenimus. Aul. II, 4, 18. Capt. V, 4, 2 sq. (999 sq.), Cas. I, 1, 40 sq. Mil. gl. III, 1, 73. (668.) Cur vero in his quoque enuntiatis non „atque“ sed „quam“ particula scribenda sit in Fleckeis. Annal. 1868. XII. p. 842 sq. ostendi.

*) „omni“ Geppertus recte, ut mihi videtur, inseruit.
**) Recte Ritschelius in hoc versu particulam „quam“ supplevit.

Respondet deinde particula „quam“ particulae „tam“, quae vel adiectivis et adverbiis adicitur, ut gradus qualitatis, adiectivis et adverbiis expressae, designetur, vel verbis, ut actionis gradus significetur. Asin. I, 1, 110 sq. (123 sq.) Nam illut ego argentum tam paratum filio Scio esse quam me hunc scipionem contui. 3, 6. (158.) Quam magis te in altum capessis tam aestus te in portum refert. II, 4. 83. (490.) Tam ego homo sum quam tu. Aul. II, 2, 59 sq. Quam ad probos propinquitate proxume te adiunxeris, Tam optumumst. III, 6. 12. Tam hic scit me habere quam egomet.*) IV, 6, 6. Nam quod edit tam duim quam perduim. cf. Capt. II, 2, 60 sq. (310 sq.) 66. (316.) 86. (336.) 102. (352.) III, 1, 15 sq. (475 sq.) 4, 12. (543.) 107. (639.) Curc. V, 2, 57. Cas. II, 6, 58. 4, 6 sq. III, 6, 24. IV, 1, 2 sq. Cist. II, 1, 18. IV, 2, 5. Epid. I, 2, 25. III, 4, 68. Bacch. III, 3, 29 sq. (433 sq.) IV. 5, 7. (767)V, 1, 5. (1091.) Most. I, 1, 43. (45.) III, 1, 32. (559.) 2, 64. (751.) 165. (752.) Men. III, 1, 14. (461.) V, 9, 4. (1063). Mil. gl. II, 2, 84 sq. (239 sq.) 5, 47 sq. (457 sq.) III, 1, 185. (481.) IV, 5, 3. (1202.) Merc. I, 2, 12. (121.) 74. (186.) V, 2, 115. (956.) Poen. I, 2, 135. 142 sq. II, 38. Stich. III, 2, 1 sq. (454 sq.) Trin. II,4, 140. (541.) 173 sq. (574 sq.) Truc. I, 2, 102.

*) „Hic“ quod libri Palatini praebent scribendum est, non „hoc“ quod in aliis libris legitur et Wagnerus in editione sua recepit. Contrarium, enim pronominis “egomet“ in hac sententia „hic“ tantum potest esse, non „hoc“ verbum habere autem sine obiecto iam versu 6 huius scaenae legimus.

De enuntiato Amph. I, 1, 287. (449.), in quo nonnulli particulas tam-atque sibi respondere opinantur, quid statuendum sit, vide Fleckeis. Annal. 1868 XII. pag. 845. Restant autem pauca enuntiata, in quibus demonstrativam particulam „tam“ desideramus. Capt. III, 3, 38. (398.) apud Fleckeisenum, alios sic scriptum legimus. Meminero. At quam primum poterit; in rem utriquest maxume.

In libris Palatinis autem hic versus hanc habet formam: Meminero. At quam primum poteris istuc in rem utriquest maxume. Formam „poteris“ recte iam Boxhornius in „poterit“ emendavit; in pronomine „istuc“ autem mihil aliud nisi „tam“ particulam latere, iam Lambinus vidit, versus igitur scribendus: Meminero: At quam primum poterit, tam in rem utriquest maxume. Quomodo illa codicum corruptela orta sit, haud difficile est intellectu. Forma enim „poterit“ in „poteris“ corrupta et repetitis „poteris“ formae duabus extremis litteris - poteris is tam - facillime ab altero librario „istam“ in „istuc“ magis depravari potuit.

Alterum exemplum Truc. I, 2, 67 sq. in editionibus sic scribitur: Amator similist oppidi hostilis: Quo argumentost? Quam primum expugnari potest, amator optumust amicae. In posteriore versu corruptelam inesse iam metrum clamat, quod Geppertus transpositione vocis „est‘ restituere frustra studuit. Qua ratione autem et metro et sententiae mederi possimus, dubium esse vix potest, si respicimus lectionem codicum in quibus non „amator“ sed „amit“ legitur, id est: „tam id“; nam quam facile vocis „tam“ prima littera post verbum

„potest“ excidere potuerit, quisque videt. Versus igitur formam praebeo hanc: Quam primum expugnari potest. tam id optumumst amicae.*)

Denique particula „tam“ restituenda est Truc. I, 2, 71. quem versum editiones sic scriptum praebent: Certe hercle quam veterrumus homini optumust amicus. In libris autem pro „homini“ „amomini“ legitur, id est: „tam homini“. Sed nescio an pro dativo „homini“ nominativus „homo“ scribendus, versus igitur sic legendus sit: Certe hercle quam veterrumus tam homo optumust amicus. Cf. Bacch. III, 2, 2. (386.) Homini amico quist amicus ita uti nomen possidet; ubi item voces „homo et amicus“ in unam notionem coniunctae sunt.**)

Semel particulae „quam“ respondet „tanto“ Men. I, 1, 19. (95.) Quam magis extendas, tanto adstringunt artius. Apparet autem, cur poeta non „tam“ sed „tanto“ usurpaverit. Semel etiam particula „tam“ omissa est. Bacch. IV. 10, 1 sq. (1076 sq.): Quam magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet, Quam se ad vitam et quos ad mores praecipitem inscitus capessat: Magis curaest magisque adformido. . . Videtur mihi repetitio eiusdem comparativi „magis“ causa fuisse, cur poeta particulam „tam“ omiserit; quam in hoc enuntiato deesse posse, quisque facile concedet.

Porro particulam „quam“ invenimus post verbum „malo“ quod ex magis (mage) et volo compositum

*) Ita Spengelius quoque hunc versum scribit, l. c, p.

**) Ita Kiesslingius quoque in Fleckeiseni annal 1868 IX, p. 626. hunc versum scribit, praeterquam quod librorum scripturam „homini“ recipit et pro „veterrumust“ scribere mavult „integerrumust“

esse nemo ignorat. Capt. IV, 2, 78. (858.) Vin te faciam fortunatum? Malim quam miserum quidem. Curc. II, 3, 41. (320.) Jam edes aliquid. Nolo hercle aliquid, certum quam aliquid mavolo. Cist. I, 1. 34. Eas si adeas, Abitum quam aditum malis. Epid. I, 2, 16. Malim istimodi mihi amicos furno mersos quam foro.*) cf. Bacch. III, 3, 61. (460.) Mil. gl. II, 2, 15 sq. (170 sq.) Pseud. I, 2, 8 sq. (140 sq.) II, 4, 38. (728.) Poen. I, 2, 77. V, 4, 44. Pers. I, 1, 3 sq.

Notum est post verba voluntatis si subiectum enuntiati primarii et secundarii idem est, vel nominativum vel accusativum cum infinitivo poni. Exempla eius constructionis apud Plautum haec sunt. Amph. I, 3, 13 sq. (511 sq.) Ego faxim ted Amphitruonem malis esse quam Jovem. Experiri istuc mavellem me quam memorari mihi. Asin. V, 2, 44 sq. (894 sq.) Nauteam Bibere malim, si necessum sit, quam illam auscularier. Capt. III, 1, 3. (516.) Nunc illut est quom me fuisse quam esse nimio mavelim. cf. Bacch. III, 3, 48. (452.) IV, 8, 18 sq. (859 sq.) Most. I, 3, 21 sq. (177 sq.) Men. V, 1, 20 sq. (720 sq.) Mil. gl. IV, 8, 46 sq. (1356 sq.) Merc. II, 3, 21. (356.) 85 sq. (419 sq.) Pseud. IV, 5, 6 sq. (1057 sq.) Poen. I, 2, 90. Bono med esse ingenio ornatam quam auro multo mavolo**) I, 2, 92. III, 3, 92. IV, 2, 5 sq. Stich. I, 2, 13. (80.) Truc. II, 2, 5.

*) De forma genitivi „istimodi“ vide Ritschel. opusc. II, p. 690 sq.

**) cf. Ritschel. l. c. p. 284 sq. et N, Pl. Exc, p. 67. ubi Ritschelius huius versus hanc praebet formam: Bono me esse ingeniod ornatam quam auro multo mavolo. aut si libris Palatinis major fides habenda est quam codici Ambrosiano; Bono me ingeniod esse ornatam quam, . .

Si vero subiectum enuntiati secundarii aliud est quam primarii, nominativus cum infinitivo poni non potest; ponitur autem vel accusativus cum infinitivo: Truc. II, 2, 22 sq. Ita me amabit sarculum Ut egomet ruri a me amari mavelim patulam bovem Cumque ea noctem in stramentis pernoctare perpetem Quam tuas centies cenatas noctes mihi dono dari. IV, 2, 30. Malim inimicos invidere mihi quam me inimicis meis. cf. etiam exempla iam supra allata Amph. I, 3, 13. (511.) Merc. I, 2, 22 sq. (178 sq.) Pseud. IV, 5, 7. (1058.) vel coniuntivus. Capt. III, 5, 30 sq. (687 sq.) Meumque potius me caput periculo (Hic) praeoptavisse quam is periret ponere. Bacch. III, 4, 14 sq. (512 sq.) Verum quam illa umquam de mea pecunia Ramenta fiat plumea propensior, Mendicum malim mendicando vincere. IV, 9, 124 sq. (1047 sq.) Ne ille edepol Ephesi multo mavellem foret Dum salvos esset quam revenisset domum. Pseud. I, 2, 75. (209.) At taceas malo multo quam tacere dicas. Poen. V, 3, 31. Facias modo quam memores mavelim. cf. I, 2, 76.

In tribus exemplis, in quibus subiectum enuntiati primarii et secundarii idem est et acc. c. infin. et post particulam quam coniunctivum invenimus. Asin. I, 1, 108 sq. (121 sq.) Moriri sese misere mavolet Quam non perfectum reddat quod promiserit. IV, 2, 1 sq. (810 sq.) Emori Me malim quam haec non eius uxori indicem Aul. IV, 5, 1 sq. Emortuum ego me mavelim leto malo Quam non ego illi dem hodie insidias seni. Tribus his exemplis id est commune, ut altera enuntiati secundarii pars sit negativa. In omnibus

autem exemplis, in quibus post „quam“ coniunctivum legimus oratio in modum finalem transit. Quam ob rem etiam post „potius“ si altera per „quam“ coniuncta pars suum habet verbum, apud Plautum semper coniunctivum invenimus. Asin. IV, 1, 52 sq. (797 sq.) Tu labellum abstergeas Potius quam quoiquam savium faciat palam. 2, 7. (867.) Suspendam potius me quam tacita haec tu auferas. Aul. pr. 11 sq. Inopemque optavit potius eum relinquere Quam eum thensaurum conmonstraret filio. Capt. III, 5, 29 sq. (687 sq.) Meumque potius me caput periculo Hic praeoptavisse quam is periret ponere. cf. Cas. II. 3, 34 sq. Cist. II, 3, 84 sq. Epid. III,4, 81 sq. Immo etiam si alterum Tantum perdundumst, perdam potius quam sinam Me inpune inrisum esse habitum depeculatui.*) Bacch. I, 1, 71 sq. (104 sq.) IV, 9, 116 sq. (1040 sq.) Most. I, 3, 72 sq. (229 sq.) III, 2, 16 sq. (705 sq.) 3, 24. (847.) IV, 2, 1. (884.) Men. II, 2, 57. (332.) V, 8, 10 sq. (1059 sq.) Mil. gl. II, 3, 40. (311.) Pseud. I, 3, 132 sq. (368 sq.) 5, 140 sq. (553 sq.) Poen. IV, 2, 100. Rud. IV, 3, 102 sq. (1041 sq.) Stich. III, 1, 39 sq. (448 sq.) Trin. IV, 3, 50 sq. (1057 sq.) Truc. II, 4, 88.

Unum restat exemplum, in quo et codices et editiones in altero enuntiati parte post particulam quam indicativum praebent Cist. II, 1, 56. perdam operam potius quam carebo filia. Sed facile quisque intelleget, cur hoc loco indicativus a poeta positus sit; in altera enim enuntiati parte oratio non transit in

*) De hoc versu cf. Buecheler. de decl. lat. p. 56.

modum finalem. Sensus igitur est: ich will lieber alle Mühe opfern als meine Tochter entbehren. Vidimus supra Plautum in altera per „quam“ adiuncta enuntiati comparativi parte solum „quam“ non „quam ut“ posuisse; quaeritur nunc, quando poeta „quam ut“ quando solum „quam“ usurpaverit. Reperimus „quam ut“ post locutiones, quales sunt:

quid meliust.

Aul. I, 1, 37 sq. Neque quicquam meliust mihi Ut opinor, quam ex me ut unam faciam litteram Longam. Men. V, 2, 80 sq. (834 sq.) Quid mihi meliust quam quando illi me insanire praedicant Ego me ut adsimulem insanire, ut illos a me apsterream. *) Pseud. IV, 7, 18. (1121.) Nec quicquamst mi melius quam ut hoc pultem atque aliquem huc evocem intus. Rud. I, 4, 1. (220.) Quid mihi meliust, quid magis in remst quam corpore vitam ut secludam. IV, 4, 145. (1189.) Quid meliust quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum

quid propius fuit.

Mil. gl. II, 5, 65 sq. (475 sq.) Quid propius fuit Quam ut perirem si locutus essem ero.

quid potiust.

Mil. gl. IV, 3, 24. (1117.) Quid potiust quam ut tute adeas, tuam rem tute agas. Facile autem videmus omnes illas locutiones esse negativas. Recte igitur iam Fleckeisenus particulam „ut“ in Rud. II, 2, 22, (328.)

*) Ritschelius (N. Pl. Exc. p. 42.) hunc locum sic scribit: Quid mihi melius quam ut, quando illi me insanire praedicant, Ego med adsimulem insanire, ut illos a me absterream?

Nunc quid mihi meliust quam ilico hic ut erum opperiar dum veniat: quam et metrum et sermo Plautinus efflagitat, restituit. In omnibus autem reliquis exemplis, in quibus enuntiatum primarium positivum est, solum „quam“, ut exempla supra allata satis ostendunt, invenimus. Vide praeterea Cas. I, 1, 23 sq. Hercle me suspendio Quam tu eius potior fias satiust mortuum. Stich. IV, 1, 8 sq. (512 sq.) Et magis par fuerat me vobis dare cenam advenientibus Quam ad illum promitterem *) Quam ob rem vix dubium esse potest, quin particula „ut“ delenda sit in enuntiatis qualia sunt; Most V, 2, 48 sq. (1170 sq.) Aliud quidvis inpetrari perferam a me facilius, Quam ut non ego istum pro suis factis pessumis pessum premam. Merc III, 1, 4. (502.) Quin tibi quidem quod rideas magis est quam ut lamentere. Stich. V, 5, 5 sq. (746 sq.) Nimioque sibi mulier meretrix repperiet odium ocius Sua inmunditia, quam in perpetuom ut placeat munditia sua. Poen. V, 4, 11. Geppertus sic scriptum exhibet: Istuc malim aliis ita videatur, quam uti tu te, soror, conlaudes. Verum neque Vet. C. neque Decurt. voculam „ut“ praebent, quae nonnisi in deterioribus codicibus reperitur; ille „tette“, hic „tute“ habet omissa particula ut. Versus igitur scribendus: Istuc malim aliis ita videatur quam tu te, soror, conlaudes. Altero loco Truc. IV, 2, 29. Mortuom hercle me quam id patiar mavelim: Geppertus recte particulam „ut“,

*) Ita cum Fleckeiseno hunc locum scribo. Codd. C, D. F. Z. quam me ad illum promittere, quod Ritschelio etiam cod. A. habere visus est. Ritschelius: quam ad illum me promittere.

quam codd. V. et D. exhibent, codicem P. secutus omisit. Plautum particula finali „ut“ in eius modi enuntiatis usum esse, satis ostendunt exempla qualia sunt: Cist. IV, 1, 10 sq. Nam hercle ego illam anum inridere me ut sinam? satiust mihi Quovis exitio interire. Bacch. II, 2, 19 sq. (196 sq.) Egone ut quod ab illo [me] attigisset nuntius. Non inpetratum id advenienti ei redderem? Regiones colere mavelim AcheruntAcheruntcas. III, 3, 85 sq. (489 sq.) Egone ut illam mulierem Capitis non perdam? perire me malis malim modis. cf. Asin. V, 2, 34 sq. (884 sq.) Rud. IV, 7, 18, sq. (1249 sq.), alia.

Videmus autem alteram comparationis partem in his enuntiatis per interrogationem expressam praecedere, quae si per „quam“ particulam adiuncta postponitur, particula finalis „ut“ omittitur. Sententiam igitur quae est Bacch. III, 3, 85 sq. (489' sq.) Plautus ita exprimere potuit: perire me malim malis modis, quam non ego illam mulierem capitis perdam. Vide exempla pag. 19. allata Asin. I, 1, 108 sq. (121 sq.) IV, 2, 1 sq. (810 sq.) Aul. IV, 5, 1 sq. Unum restat exemplum, quod iam summos viros exercuit. Trin. III, 3, 33. (762.) Ritschelius eumque secutus Fleckeisenus hunc versum sic scribunt: Malim hercle ut verum dicant quam ut dent mutuom. Lindemannus in prima editione Camerarium secutus: Malim hercle ut verum dicas quam ut des mutuom. Quam scripturam etiam Brixius, novissimus Trinummi editor recepit. Lindemannus postea verba „ut des mutuom“ in „mutet fides“ haud dubie magis depravavit quam emendavit. Huius versus quam varia

sit codicum lectio, ex criticis Ritschelii notis potest intellegi. In Ambrosiano quid scriptum fuerit, hodie legi nequit; reliqui autem omnes pro „dicant" praebent „dicas" pro „ut dent mutuom" Vet. C. „vides mutuom" Dec. „vides mutavi" alii aliter.

Haec Calliclis verba, si „dicas" et „des" legimus, non posse non ad solum Megaronidem spectare, certissimum est. Sed credi nullo modo potest Calliclem tam aspere et acerbe amicum increpuisse, ut eum argenti inopia premi vellet; apage sententiam a sermonis contextu alienissimam. Ritschelii et Fleckeiseni lectione — dicant — dent — delenitur quidem aliquantulum ira ac saevitia Calliclis, quum verba ad omnes amicos de pecunia mutua danda interrogatos referenda sint, sed ne haec quidem sententia mihi videtur ad contextum quadrare. In hac enim tranquilla amicorum deliberatione mirandum sane est Calliclem subito se tam iratum ostendere, ut amicis, a quibus pecuniam se mutuari posse dixerat, male precetur. Neutra igitur lectio, neutra sententia meo quidem iudicio hic potest ferri. Huc accedit, quod particula finalis ut in utroque enuntiati membro a Plautina sermonis consuetudine prorsus abhorret. *) Quae quum ita sint, videamus num

*) Neque post verbum „nolle" neque post verbum „malle" usquam praeter hunc locum particulam finalem „ut" legimus, sed solum coniunctivum; nam in Poen. I, 2, 76. „ita me di ament ut illa me amet malim quam di, Milphio." particulam „ut" non esse finalem, sed particulae „ita" respondere quisque facile videt. Post verbum velle autem particula ut quinquies reperitur. Cas. IV, 4, 9. Bacch. I, 1, 44. (77.) Most. III, 1, 122. (632.) 2, 53. (742.) Pseud. V, 1, 2. (1247.) nam aliter sese habent exempla, qualia sunt. Pseud, I, 3, 86. (321.) II, 2, 65. (660.) Truc. II, 4, 78.

alia ratione codicum lectioni possimus mederi atque aptiorem sententiam eruere. Sed ne longior fiam, dicam, quae sententia mihi sola hoc loco recte se habere posse videtur. Malim hercle vero dicas: iam vide mutuom. i. e. malim hercle vero dicas me pro illo verbo „mihi non est quod dem mutuom" verbum invenire „iam vide mutuom". Num vero hic vel eius similis versus a Plauto profectus sit, mihi satis incertum est; nam inter vers. 761 et 763 equidem nihil desidero. Quam ob rem hunc versum tamquam spurium extrusum vel saltem uncis inclusum velim.

Restant perpaucae enuntiationes, in quibus comparativum quidem non legimus, sed tamen aliam dictionem, qua comparativa vis continetur; qua re in eis quoque particulam comparativam, „quam" invenimus. Amph. III, 2, 62. (943.) Bis tanto amici sunt inter se quam prius. Merc. II, 2. 26. (297.) Immo bis tanto valeo quam valui prius. Verbis enim „bis tanto" maior amicitiae et valetudinis gradus significatur. Capt. II, 3, 61 sq. (421 sq.) Pol istic me haut centensumam Partem laudat quam ipse meritust ut laudetur laudibus. In altero autem huius simili enuntiato non „quam" sed „atque" legimus. Mil. gl. III, 1, 168 sq. (763 sq.) Haut centensumam Partem dixi atque otium rei si sit, possum expromere. Particulam „atque" autem hic non comparativam sed copulativam vim habere iam in Fleckeiseni Annal. 1868. XII p. 846 monui. Qui igitur hic comparativam particulam exspectat, „atque" in „quam" mutare debet.

Notum est in graeca lingua non solum apud poe-

tas, sed etiam apud solutae orationis scriptores interdum *μᾶλλον*, praecique apud verba *βούλομαι ἐθέλειν αἱρεῖσθαι δέχεσθαι* omissum esse. Non igitur mirandum si in latino quoque sermone et praesertim vulgari comparativum „potius“ omissum reperimus. Cas. II, 5. 2 sq. Atque ibi torreto me pro pane rubido, era, Quam tu istac opera a me inpetres quod postulas. Bacch. IV, 3, 7, (618.) Inimicos quam amicos aequomst med habere. *) Men. V, 1, 25 sq. (725 sq.) Non, inquam, patior praeterhac Quin vidua vivam, quam istos mores perferam. Rud. III, 3, 22. (684.) Certumst moriri quam hunc pati [grassari] lenonem in me. IV, 3, 6, (943.) Non edepol piscis expeto quam tui sermonis sum indigens. In omnibus autem his enuntiatis sententia eiusmodi est, ut perverse intellegi vix queat. Semel etiam post adverbium advorsum particulam „quam“ invenimus. Trin. I, 2, 139 sq. (176 sq.) Utrum indicare me ei thensaurum aequom fuit, Advorsum quam eius me opsecravisset pater?

Denique particulam quam in nonnullis compositis vel quasi compositis invenimus. Haec sunt, tamquam, nimis quam, admodum quam, perquam. Particula „tam quam“ respondet nostro; „ebenso wie“ vel, „als wie.“ Cas. II, 8, 1 sq. Sine modo rus veniat, ego remittam ad te virum Cum furca in urbem tamquam carbonarium.

*) Ita nunc Ritschelius [N. Pl. Exc. p. 37.] ut mihi videtur prorsus recte hunc versum scribit, qui in editione huius fabulae sic scriptus est;

Inimicos quam amicos habere aequiust me.

V, 2, 8. Set tamen tenebrae ibi erant tamquam nox. *) cf. Curc. V, 2, 29. (628.) 38. (637.) Most. III, 2. 122 sq. (809 sq.) Mil gl. IV, 1, 37. (984.) 7, 26. (1309.) Pers. II, 4, 28. (299.) IV, 4, 32. (581.) 86. (638.) Trin. IV, 2, 68. (913.) Asin. II, 4, 21. (427.) Most. II, 1, 55. (402.) Men. V, 9, 42. (1101.) Most. II, 1, 55. (402.) Tamquam si intus natus nemo in aedibus habitet. Men. V, 9, 42. (1101.) Tamquam si emeris me argento, liber servibo tibi. Videmus igitur poetam ut particulis „tam et quam“, ita etiam ex illis composita „tamquam“ usum esse ad designandum gradum. Capt. I, 1, 34. (102.) Quod quidem ego nimis quam cupio [senex] ut impetret. Most. II, 2, 79. (511.) Nimis quam formido, ne manufesto hic me opprimat. Truc. II, 5, 15 sq. Nimis quam paucae sunt defessae male quae facere occeperunt. Nimis quam paucae efficiunt si quid facere occeperint bene. Amph. I, 3, 43. (541.) Ex amore hic admodum quam saevus est. Bacch. III, 6, 16. (545.) Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes. Rud. III, 3, 9. (672.) Reppulit, propulit perquam indignis modis. In tribus his compositis vel quasi compositis „quam“ indefinitam habere vim iam inde potest colligi, quod adverbiis illis adnexa est.

*) Geppertus hunc versum sic scribit: seic tamen tenebrae ibi oriuntur tamquam in puteo. Codd. pro seic „sed“ pro oriuntur erant. Solus A. tamquom in puteo: reliqui tamquam nox. Verba Aul. IV. 1, 12. Ut toleret, ne pessum abeat tamquam . . . . haud dubie glossema sunt.

tas, sed etiam apud solutae orationis scriptores interdum *μᾶλλον*, praecique apud verba *βούλομαι ἐθέλειν αἱρεῖσθαι δέχεσθαι* omissum esse. Non igitur mirandum si in latino quoque sermone et praesertim vulgari comparativum „potius“ omissum reperimus. Cas. II, 5. 2 sq. Atque ibi torreto me pro pane rubido, era, Quam tu istac opera a me inpetres quod postulas. Bacch. IV, 3, 7, (618.) Inimicos quam amicos aequomst med habere. *) Men. V, 1, 25 sq. (725 sq.) Non, inquam, patior praeterhac Quin vidua vivam, quam istos mores perferam. Rud. III, 3, 22. (684.) Certumst moriri quam hunc pati [grassari] lenonem in me. IV, 3, 6, (943.) Non edepol piscis expeto quam tui sermonis sum indigens. In omnibus autem his enuntiatis sententia eiusmodi est, ut perverse intellegi vix queat. Semel etiam post adverbium advorsum particulam „quam“ invenimus. Trin. I, 2, 139 sq. (176 sq.) Utrum indicare me ei thensaurum aequom fuit, Advorsum quam eius me opsecravisset pater?

Denique particulam quam in nonnullis compositis vel quasi compositis invenimus. Haec sunt, tamquam, nimis quam, admodum quam, perquam. Particula „tam quam“ respondet nostro; „ebenso wie“ vel, „als wie.“ Cas. II, 8, 1 sq. Sine modo rus veniat, ego remittam ad te virum Cum furca in urbem tamquam carbonarium.

---

*) Ita nunc Ritschelius [N. Pl. Exc. p. 37.] ut mihi videtur prorsus recte hunc versum scribit, qui in editione huius fabulae sic scriptus est;

Inimicos quam amicos habere aequiust me.

V, 2, 8. Set tamen tenebrae ibi erant tamquam nox. *) cf. Curc. V, 2, 29. (628.) 38. (637.) Most. III, 2, 122 sq. (809 sq.) Mil gl. IV, 1, 37. (984.) 7, 26. (1309.) Pers. II, 4, 28. (299.) IV, 4, 32. (581.) 86. (638.) Trin. IV, 2, 68. (913.) Asin. II, 4, 21. (427.) Most. II, 1, 55. (402.) Men. V, 9, 42. (1101.) Most. II, 1, 55. (402.) Tamquam si intus natus nemo in aedibus habitet. Men. V, 9, 42. (1101.) Tamquam si emeris me argento, liber servibo tibi. Videmus igitur poetam ut particulis „tam et quam“, ita etiam ex illis composita „tamquam“ usum esse ad designandum gradum. Capt. I, 1, 34. (102.) Quod quidem ego nimis quam cupio [senex] ut impetret. Most. II, 2, 79. (511.) Nimis quam formido, ne manufesto hic me opprimat. Truc. II, 5, 15 sq. Nimis quam paucae sunt defessae male quae facere occeperunt. Nimis quam paucae efficiunt si quid facere occeperint bene. Amph. I, 3, 43. (541.) Ex amore hic admodum quam saevus est. Bacch. III, 6, 16. (545.) Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes. Rud. III, 3, 9. (672.) Reppulit, propulit perquam indignis modis. In tribus his compositis vel quasi compositis „quam“ indefinitam habere vim iam inde potest colligi, quod adverbiis illis adnexa est.

---

*) Geppertus hunc versum sic scribit: seic tamen tenebrae ibi oriuntur tamquam in puteo. Codd. pro seic „sed“ pro oriuntur erant. Solus A. tamquom in puteo: reliqui tamquam nox. Verba Aul. IV. 1, 12. Ut toleret, ne pessum abeat tamquam . . . . haud dubie glossema sunt.

II.
De particula „ut".

Altera particula comparativa, quam saepissime apud Plautum legimus, est particula „ut"; quae quum non gradum, sed modum designet, post comparativum poni non potest. Respondet autem haec relativa particula demonstrativis quales sunt: ita, sic, itidem, proinde aliis.

1) ita.

Amph. pr. 23. Vereri vos se et metuere, ita ut aequomst Jovem. I, 3, 43. (541.) Faciam ita ut vis II, 1, 19. (569.) Profecto ut loquor res itast. 2, 59. (691.) Qui non abiisti ad legiones ita uti dudum dixeras. 143. (775.) Recte: itast ut opsignavi. V, 31. (1143.) Faciam ita ut iubes. Asin. V, 1, 1. (828 sq.) Ut iusseris, Mi gnate, ita fiet. Aul. I, 1, 26. Nunc ibo ut visam, sitne ita aurum ut condidi.*) cf. II, 1, 1 sq. 4, 19. III, 5, 22. IV, 7, 8. 10, 31 sq. 70. Capt. I, 2, 15. (124.) II, 2, 93. (343.) 3, 12. (372.) 28, (388.) III, 4, 89 sq. (622 sq.) 5, 19 sq. 677 sq.) 87. (745.) IV. 2, 97 sq. (877 sq.) Curc. I, 1, 50. 3, 52. (208.) II, 3, 47. (326.) IV, 4, 21 sq. (577 sq.) At ita me volsellae, pecten, speculum, calamistrum meum Bene mactassint . . . . Ut ego tua magnifica verba neque istas tuas magnas minas Non pluris facio quam . . . *) Epid. III, 4, 23 sq. Bacch. I, 2. 3 sq. (111

*) Coniunctivum „sitne" non indicativum „estne," quem libri praebent, scribendum esse, recte iam Pylades vidit.

**) De hoc loco cf. Ritschel mus. rhen. XII. p. 432 adn.

sq.) III, 2, 2. (386.) IV, 4, 13. (662.) Most. I, 2, 11 sq. (94 sq.) 3, 25. (182.) III, 1, 117. (640.) 2, 40. (729.) 46. (735.) IV, 1, 16. (872.) 2, 21 sq. (901 sq.) Men. V, 6, 18 sq. (892 sq.) 9, 70. (1131.) 6, 28. (992.) Mil. gl. III, 1, 39. (633.) 185. (780.) Merc. II, 1, 38. (262.) 3. 91 sq. (427 sq.) Pseud. I, 3. 11. (230.) IV, 1, 32 sq. (943 sq.) Poen. II, 24, V, 3, 17. 4, 49 sq. 88 sq. Pers. I', 4, 14. (285.) III, 1, 23. (351.) IV, 3, 21. (492.) Rud. pr. 3. I, 3, 35. (216.) IV, 6, 21. (1065.) 60. (1104.) V, 3, 3. (1359.) Stich. I, 1, 30. 2, 55. (112.) IV, 1, 1 sq. (505 sq.) 13. (518) 70. (566) 2, 1. (579.) V, 5, 1 sq. (742 sq.) Trin. I, 2, 8. (46) II, 2, 25 sq. (306 sq.) 30. (311.) Nimio satiust ut opus est ita esse quam ut animo lubet. *) II, 4, c5. (496) III, 1, 19. (620.) 2, 42. (668.) 87. (713.) IV, 2, 15. (857.) 41, (883.) 55. (897.) 4, 6. (1098.) V, 2, 8. (1132.) 46. (1170.) 48. (1172.) Truc. pr. 10. II, 2, 21. sq. In obtestationibus apud Plautum non nisi „ita - ut" particulas invenimus; et in priore quidem membro aut indicativum futuri aut coniunctivum praesentis.

2. sic.

Amph. I, 3, 18 sq. (516 sq.) Numquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam Sic ecflictim amare proinde ut hic te ecflictim deperit. II, 1, 57. (604.) Sic sum ut vides: IV, 3, 18. (1052.) Quin sic faciam uti constitui. Asin. I, 1, 1 sq. (16 sq.) Sic ut

*) Ritschelius N. Pl. Exc. p. 47. hunc versum sic scriptum exhibet; Nimio satiust, ut opust ita ted esse, quam ut animo lubet.

tuum vis unicum gnatum tuae Superesse vitae sospitem et superstitem, Ita tecum optestor. III, 2, 13. (559.) Sic ut ego possum cf. Aul. II, 4, 16. 26. 43. Capt. II, 2, 1 sq. (499 sq.) 5, 38. (696.) V, 1, 16, (936) Cas. II, 6, 46. utinam tua quidem ista sic ut de Hercule istud praedicant *) III, 3, 4· Epid. II, 2, 87. IV, 1, 17 si is est homo, Sic ut anni multi dubiam me danunt, convenero. **) Bacch. III, 3, 64 (468.) IV, 4, 67. (718.) 10, 11. (1086) Most. II, 1, 34. (381.) 69. (416.) III, 1, 14. (545) 2, 84 (771.) IV, 3, 40. (1034.) Men. pr. 74. IV, 2, 20. (588.) Mil. gl. II, 6, 38 (518.) III, 1, 130 (727.) IV, 1, 27. (974.) Pseud. I, 3, 40. (374.) Poen III, 1, 8. V, 4, 21. Pers. IV, 1, 3 sq. (451 sq.) Rud. II, 5, 6 sq. (463 sq.) IV, 6, 67. (1111.) Trin. II, 4, 148. (549.) III, 2, 59. (658.) 3, 75 sq. (804 sq.)

3) item, itidem.

Amph II, 2, 80. (712.) Appellare itidem ut pudicae suos viros, quae sunt, solent. III, 4, 9. (992.) Ut filium bonum patri esse oportet, item ego sum patri Aul. II, 237. Aetatem meam scis? Scio esse grandem itidem ut pecuniam. cf. Capt. pr. 44 sq. 55. II, 2, 11. (261.) IV, 2, 104 sq. (884 sq.) V, 4, 11. (1008.) Curc. III, 79 sq. (449 sq.) IV, 2, 13. (499.) V, 3, 12. (690.) Cist. I, 3, 23. Bacch. IV, 9, 25. (949.) 39 sq. (963 sq.) Most. IV, 2, 24. (933.) Men. V, 7, 49. (1038.) Mil. gl. IV, 6, 54. (1263.) Merc. I, 1, 3 sq. (12 sq.)

---

*) Ita Geppertus hunc versum scribit. In libris ab initio legitur „sed“ et pro: de Hercule istud Vet: Herculei, reliqui: Herculeis.

**) Ita Geppertus. Vulg. Sin est is homo sic ut anni multi me dubiam daut.

IV, 6, 10 sq. (814 sq.) V, 2, 33. (875.) 4, 23, (984.) Pseud. I, 1, 2, 63. (197.) 3, 147. (382.) III, 2, 21. (810.) 80 sq. (869 sq.) IV, 3, 3 sq. (1019 sq.) Poen. I, 1, 14 sq. Rud. II, 4, 4 sq. (417 sq.) III, 2, 45. (659.) IV, 3, 71. (1010.) 4, 55. (1099.) Stich. III, 2, 9 sq. (462 sq.) Nam ut illa vitam repperit hodie sibi, Item me spero facturum, augurium haec facit *) Trin. IV, 2, 134. (977.) Truc. II, 1, 41. 4, 29 sq. 7, 16. IV, 2, 36.

4) proinde.

Particulas „proinde“ et „proin“ a Plauto non promiscue usurpatas, sed diligentissime distinctas esse in Fleckeiseni annalibus. 1867 XII. p. 852 sq. ostendi. „Proin“ enim non nisi adhortativa est particula, quae aut cum imperativo aut cum coniunctivo coniuncta a nostro poeta adhibetur, „proinde“ autem demonstrativa est particula, cui relativae „ut“ vel „quasi“ respondent. Amph. pr. 63. Faciam sit proinde ut dixi tragicomoedia. I, 3, 18 sq. (516 sq.) Numquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam Sic ecflictim amare proinde ut hic te ecflictim deperit. II, 1, 35 sq. (583 sq.) At ego faciam [nequam] hocedie proinde ut meritus, ut minus Valeas. **) cf. II, 2,

---

*) Libri pro „haec“ „ ac“ praebent, quod Ritschelius et Fleckeisenus receperunt et pro comparativa particula, voci „item“ respondente accepisse videntur. Recte iam Acidalius „ haec“ scripsit vide infra p. 76.

**) Non recte Fleckeisenus in annal. 1867. IX. p. 637. particulam „ac“ quae in libris invenitur, ideo retinendam esse putat, quod non credibile sit poetam particula „ut“ bis in eodem enuntiato et modali et finali significatione usum esse. Sed confer exempla· Asin.

125. (757.) III, 3, 19. (973.) 3, 28. (982.) Capt. II, 2, 57. (307.) 64. (314.) V, 1, 13 sq. (933 sq.) Cas. I, 1, 7 sq. II, 1, 11. Most. I, 2, 13 sq. (96 sq.) Men. V, 5. 50. (953.) Pseud. II, 2, 13 sq. (678 sq.) Stich. II, 2, 11. (284.) V, 5, 18. (759.) Trin. I, 2, 27. (65.) III, 2, 33. (659.) 2, 51. (677.).

5) perinde.

Stich. IV, 1, 15. 520. Ut quoique homini res paratast, perinde amicis utitur. *)

6) aeque, adaeque.

Asin. V, 1, 11. (838.) Putem ego quem videam aeque esse maestum ut quasi dies si dicta sit. **) Cist. I, 1, 57. Neque munda adaeque's ut soles. De exemplis Cas. I, 1, 40 sq. IV, 4, 21, V, 6 sq. quid statuendum sit, alias videbimus.

7) par, pariter.

Aul. pr. 21 sq. Is hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium Pariter moratum ut pater avusque eius fuit. Bacch. V, 1, 22. (1108.) Igitur pari fortuna, aetate ut sumus utimur. De versu Amph. IV, 1, 11. (1019.) alio tempore exponam.

I, 1, 13. (28.) Aul. I, 1. 38. Cas. II, 3, 11. Pers. IV, 4, 66, (616.) Rud. II. 3, 80. (411.) praecipue. Cas. II, 1. 11. Faciam uti proinde ut est dignus vitam colat. Cf. etiam Fleckeis. annal. 1868. XII pag. 853.

*) Nescio an hic pro „perinde" „proinde" scribendum sit; nam si recte memini praeter hunc locum „perinde" semel tantum legitur. Pseud. II, 1, 4. (577.) Nam omnes res perinde sunt, Ut agas, eas ut magni facias.

**) Fleckeisenus Lindemannum secutus particulam „ut" omisit. Respondet autem meo iudicio particula „ut" adverbio „aeque" et subaudienda est vox „maestum"; verba autem „quasi dies si dicta sit" ad exp'icandam notionem vocis „maestum" adiecta sunt.

Cf. Fleckeis annal. 1868 XII. pag. 844.

8) exim.

Epid. I, 1, 47, Utquomque in alto ventust, Epidice, exim velum vortitur. Most. I, 3, 70. (227.) Ut famast homini, exim solet pecuniam invenire. Poen. III, 5, 9. Utquomquest ventus, exim velum vortitur. Vide de his exemplis Ritschelii opusc. II, p. 281 sq. et 456.

Respondet quidem apud Plautum pronomini demonstrativo „idem" relativum „qui" *) sed nemo sane offendet in particula „ut" quam ter post notionem adverbialem „eodem pacto" invenimus. Capt. IV, 1, 11. (778.) Nunc certa res est: eodem pacto ut comici servi solent, Coniciam in collum pallium. Merc, II, 1, 38 sq. (262 sq.) Quam ego postquam aspexi, non ita ut sani solent Amo, sed eodem pacto ut insani solent. Rud. IV, 7, 27, (1253.) Nullus erat illo pacto ut illi

---

*) Liceat mihi hic locos tantum adscribere. Amph. pr. 77. I. 1, 291. (447.) 3, 34. (532.) II, 1, 67. (614.) Asin. I, 3, 25. (177.) II, 1, 8. (256.) 2, 57. (324.) III, 3. 23. (613.) Capt. II, 2, 67. (317.) Cas. II, 2, 11. 5, 10. V, 2, 44. Cist. I, 2. 21. 3, 30. Epid. V, 1, 56. Bacch. IV, 9, 61 (985.) V, 1, 23. (1109.) Most. I, 3, 138. (296.) V. 1, 11. (1052.) Men. pr. 43, IV, 1, 11. (569.) V. 1. 16. (716.) 49. (749.) Mil. gl. II, 4, 40. (393.) III, 1, 12. (606.) 212. (808.) IV, 2, 79. (1071.) Merc. I, 1, 38. III, 4, 36. (621.) IV, 6, 7. (811.) Poen. IV. 2. 73. Pers. I, 1, 43. II, 2, 57. (239.) III, 3, 24. (429.) 28. (433.) Rud. IV, 4, 30. (1074.) Stich. I. 2, 77. (134.) Trin. II, 2, 15. (292.) III, 2, 84. (710.) IV, 3, 83. (1090.) Truc. I, 2, 42, 81. II, 4, 17.

Ex his exemplis sequitur, ut non recte Ritschelius et Fleckeisenus Bothium secuti Trin. I, 2, 16, (54.) Omnibus amicis quod mihist cupio esse item, „item" receperint, quum et sensus et consuetudo Plautina „idem" postulet, quod praeterea etiam in libris legitur. Illud „idem" haud dubie etiam restituendum est Curc. II, 3, 55. (334.) Quod tibist idem sibi esse, maxumam argenti inopiam, quamquam in libris „item" legitur, quod Fleckeisenus recepit.

iusserant. Quamquam poeta etiam pronomen relativum „quo“ ponere potuit, quod legimus Trin. III, 2, 84. (710.) Eodem pacto quo huc accessi apscessero. Poen. IV, 2, 72 sq. Quia Adelphasium, quam erus deamat tuus, ingenuast. Quo modo? Eodem quo soror illius altera Anterastilis. Neque etiam ullam offensionem potest movere, si post „eodem die“ particulam relativam „ubi“ legimus. Rud. V, 2, 49 sq. (1336 sq.) Deiera te argentum mihi daturum Eodem [illo] die ubi viduli sies potitus. Contra pronomen relativum legimus: Men. V, 1, 49. (749.) Eodem die illum vidi, quo te ante hunc diem. Merc. I, 1, 38. Eodem quo amorem Venus mi hoc legavit die. Aut si post demonstrativum adverbium loci „eodem“ relativum „unde“ legimus: Asin. I, 2, 13. (139.) Ego pol te redigam eodem unde ortas, ad egestatis terminos. cf. Cist. I, 1, 64. Indidem unde oritur.

III.
De particula „quasi.“

Tertia particula comparativa, quam Plautus usurpavit, est particula „quasi“. Quae ex „quam si“ composita quum coniuntionem in se comprehendat, cum coniunctivo coniungitur. Respondet nostro „als wenn“. Exempla huc pertinentia haec sunt: Amph. pr. 56 sq. Set ego stultior, Quasi nesciam vos velle qui divos siem. 73 sq. Sirempse legem iussit esse Juppiter, Quasi magistratum sibi alterive ambiverit. 89 sq. Quid id estis admirati? quasi vero novom Nunc proferatur, Jovem facere histrioniam. 115. Sed ita adsimulavit

se quasi Amphitruo siet. I, 1, 45. (200.) Verum quasi adfuerim tamen simulabo atque audita eloquar. II, 2, 51 sq. (683 sq.) Sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris, Quasi qui nunc primum recipias te domum huc ex hostibus. V, 1, 22. (1074.) Nam pro Jupiter, sepultust quasi sit mortuos. 44. (1096.) Aedes totae confulgebant tuae quasi essent aureae. cf. Asin. IV, 1, 51, (796.) Aul. II, 7, 7. IV, 9, 6. Capt. I, 2, 78. (181.) III, 4, 11. (542.) 5, 104. (763.) IV, 4, 4. (912.) Curc. I, 1, 51. III, 21. (391.) Cas. II, 5, 25. IV, 4, 20. V, 3, 14. Epid. II, 2, 11. 41 sq. 63 sq. Coepi rursum vorsum ad illas pausillatim accedere, Quasi retruderet med hominum vis invitum. *) II, 2, 89 sq. III, 2, 33 sq 3, 7 sq. Quasi egomet dudum fili causa coeperam Me excruciare animi, quasi quid filius meus Med erga deliquisset: quasi non plurima Malefacta mea essent stolida in adulescentia. **) III, 3, 38 sq. Most. V, 2, 56. (1076.) Men. III, 2, 16 sq. (482 sq.) 34. (499.) IV, 2, 75. (638.) 105 sq. (668 sq.) Mil. gl. pr. 9. III, 1, 200 sq. (796 sq.) 2, 8. (820.) 3, 35 sq. (909 sq..) 38. (912.) 60. (934.) IV, 2, 2. (992.) 35. (1026.) 43 sq. (1034 sq.) 4, 27 sq. (1163 sq.) 34 sq. Ita volo adsimulare, prae illius forma quasi spernas tuam Quasique eius opulentitatem verearis.***)

*) de hoc versu vide Ritschel. opusc. II. p. 250.

**) Ritschelius [N. Pl. Exc. p.27] alteram huius loci partem sic scribit quasi quid filius Meus deliquisset med erga, aut non plurume Malefacta mea essent solida in adulescentia. Verborum igitur collocationem, quam codd. exhibent, non mutavit, sed tantum vocem „quasi“, quae post „aut“ in libris legitur, tanquam interpolatam removit, De primo versu quid statuendum sit, alias videbimus.

***) cf, Ritschel. opusc, II. p. 682.

45. (1182.) Merc. I, 2. 92. (205.) II, 2, 43 sq (314 sq.) V, 3, 1. (957.) Pseud. II, 2, 37. (632.) 3, 18. (684.) IV, 7, 66. (1162.) Poen. I, 2, 61. III, 2, 23 sq. IV, 2, 9. 23. 53. Quid iam? Quasi tacere vero quicquam potis sis. *) V, 2, 142 sq. Pers. I, 3, 4. (84.) 77. (157.) IV, 5. 5. (677.) Rud. II, 3, 10. (340.) Stich. I, 2, 18 sq. (76 sq.) 27. (84.) Trin. III, 3, 38. (768.) 41. (771.) 45. (775.) Truc. II, 2, 37 sq. 5, 22. Eumque ego ornatum utor gravida, quasi puerperio cubem.**) 7, 22. Notanda est hic contractio quaedam orationis, quam reperimus in his exemplis: Curc. I, 1, 78. Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet Chium esse. Merc. III, 1, 16. (512.) Quasi dicas nullam mulierem bonam esse. Pseud. II, 2, 15. (609.) Quasi te dicas atriensem. 39 sq, (634 sq.) Quasi tu dicas me te velle argento circumducere. Rud. I, 2, 11. (99.) Quasi me tuum esse servom dicas, Daemones. Trin. IV, 2, 49, (891.) Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax periisse ilico. Haec locutio „quasi dicas" haud dubie contracta est ex ‚ita dicis quasi dicas" vel „ita est quasi dicas" nos: du sprichst ja grade als wenn du sagen wolltest. In enuntiatis, in quibus „quasi quom" legimus: Capt. I, 1, 12. (80.) Quasi quom caletur cochleae in occulto latent. Epid. III, 3, 39 sq. Ego illic me autem sic adsimulabam quasi Stolidum, quom bardum me faciebam. Most. I, 3, 120. (277,) Itidem olent, quasi quom una

*) Sic Geppertus. cod. A, quasi tu tacere vero quicquam potis es. reliqui omittunt „vero" et pro „es" recte „sis" exhibent.

**) Sic Seyffertus Philol. XXVII. 3. p. 462. (1868) ut mihi videtur recte hunc versum scribit.

multa iura confudit coquus. Pseud. I, 4, 8 sq. (401 sq.) Sed quasi poeta, tabulas quom cepit sibi, Quaerit quod nusquamst gentium. 5, 130 sq. (543 sq.) Si sumus conpecti seu consilium umquam iniimus, Quasi quom in libro scribuntur calamo literae, Stilis me totum usque ulmeis conscribito. particula „quasi" ad nomen pertinet, „quom" autem ad verbum. Veluti Capt. 80 sententia est: latent in occulto quasi cochleae quom caletur. Ex his iam apparet non recte a Gepperto „quom" particulam insertam esse. Truc. II, 8, 11. ubi ille scribit: „quasi quom mihi dicat" Prorsus recte sese habet librorum scriptura: „nunc quasi mihi dicat". Cf. exempla supra allata. Curc. I, 1, 78. Merc. 512. Pseud. 609. 634 sq, etc.

Verbo autem ad quod „si" pertinet omisso, „quasi" in adverbium similitudinis transit. Nomen ad quod quasi spectat, in eo casu ponitur, quem verbum enuntiati primarii postulat. In omnibus his exemplis „quasi" idem significat quod nostrum: als wie, vel solum: wie. Amph. I, 1, 7. (159.) Ita quasi incudem me miserum homines Octo validi — Caedant. 163, (319.) Mirum ni hic me quasi muraenam exossare cogitat. Asin. I, 3, 57. (209.) Ubi quid dederam, quasi columbae pulli in ore ambo meo Usque eratis. Aul. I, 1, 33 sq. Tum autem interdius Quasi claudus sutor domi sedet totos dies. II, 2, 65. Quid crepuit quasi ferrum modo? III, 6, 30. Is ita pellucet quasi laterna Punica. cf. Capt. pr. 22. I, 1, 9. (77.) III, 1, 20. (480.) 29. (489.) V, 4, 5 sq. (1002 sq.) 26 sq. (1022 sq.) Curc. II, 1. 5. (220.) IV, 2, 25. (511.) Quasi aquam ferventem fri-

gidam [esse] ita vos putatis leges.*) Cas. I, 1, 3 sq. quia certumst mihi, Quasi umbra quoquo tu ibis te semper sequi.**) 38 sq. Post autem ruri nisi tu ervom comederis Aut quasi lumbricus terram***) 52. II, 3, 58. 5, 11. III, 2, 21 sq. IV, 3, 6 sq. V, 2, 40 Ita quasi setis labella mihi compungit barbula.†) Cist. IV, 1, 18. Epid. V, 2, 46. Bacch. III, 3, 42. (446.) Most. III, 2, 81. (768,) Men. II, 1, 6. (231.) 3, 53. (404.) Mil. gl. I, 1, 17 sq. 66 sq. II, 2, 13. (268.) 4, 37. (390.) IV, 6, 10. (1225.) V, 6. (1399.) Faciam ut ei quasi puero in collo pendeant crepundia.††) Merc. I, 1, 90 sq. IV, 2, 4 sq. (695 sq,) 3, 26. (725.) Pseud. I, 1, 36. (38.) 2, 65 sq. (199 sq.) 3, 136. (371.) 5, 47 sq. (462 sq.) IV, 1, 45. (955.) Poen. pr, 31. I, 2, 23. 186. II, 39 sq. III, 5, 8. V, 2, 74. 5, 19. 6, 16. Pers. I, 1, 11. 26. 2, 6. (58.) 3, 17. (97.) II, 3, 6. (258.) Rud. II, 7, 30. (588.) III, 2, 46. (660.) 4, 27. (732.) 6, 4 sq. (842. sq.) IV, 3, 69 sq. (1008 sq.) V, 2, 3. (1290.) Stich. II, 2, 26. (350.) IV, 1, 33 sq. (539 sq.) 43. (549.) 46 sq. (552 sq.) V, 4, 42. (722.) Trin. I, 1, 8 sq. (30. sq.) IV, 1, 16. (835.) 2, 46. (888.) Truc. I, 1, 14. II, 2, 13. 3, 16 sq. 4, 39 sq. 59 sq. IV, 4, 14.

---

*) Infinitivum „esse" Fleckeisenus inseruit, quem equidem hic non desidero.

**) Sic Geppertus codicem A secutus hunc versum scribit; Ritschelius N. Pl. Exc. p. 80. Quasi umbra quoquod ibis tu te persequi.

***) Geppertus: Post autem ruri aut ervom nisi comederis. libri: Post autem nisi ruri tu ervom comederis.

†) In scriptura huius versus Geppertum secutus sum.

††) Libri: „Faciam uti" quod Fleckeisenus in editionem suam recepit: postea autem, nescio ubi „uti" in „vin" mutare vult. De versu Merc. II, 2, 4. (275.) vide Ritschelii opusc. II, pag. 702 sq.

In omnibus his enuntiatis, ut exempla allata ostendunt, „quasi" prorsus transiit in adverbium similitudinis et respondet demonstrativis particulis, quales sunt: ita, sic, itidem, item, proinde aliis, iisdem igitur, quibus relativum „ut" respondet. Facillime autem intellegimus, quod sit discrimen inter „ut" et „quasi"; "ut" enim aequitatem „quasi" vero similitudinem exprimit. In non nullis etiam exemplis, veluti Stich. IV, 1, 33 sq. (533 sq.) "quasi" respondet nostro, „ungefähr wie" vel „ungefähr" cf. Caqt. pr. 19 sq. Dedit eum huic gnato suo Peculiarem, quia quasi una aetas erat. Hinc etiam facillime potest explicari usus vocis „quasi' apud numeralia. Bacch. IV, 8, 78. (919.) Nunc quasi ducentis Philippis emi filium. Most. III, 1, 93. (627.) Quasi quadraginta minas. nam a similitudine rei facillimus est transitus in similitudinem numeri; quasi igitur in his exemplis idem significat quod „fere" „circiter" Truc. I, 1, 47 sq. in libris Palatinis et Ursiniano sic scribitur: Nam nusquam alibi si sunt circum argentarios Scorti lenones quasi sedent cottidie.

Recte iam Ritschelius opusc. II, p. 386. Osanni et Goelleri scripturam: scortis lenones quasi scatent quotidie: rececit, quum simplicitas cogitandi postulet, ut dicatur locum illum scortis et lenonibus affluere. Potest autem in librorum lectione, quod etiam Ritschelius censet, nihil aliud latere quam: Scorta et lenones quasi sedent cottidie: ita ut Scaliger eumque secutus Bothius hunc versum scripserunt. Ingeniose sane Ritschelius l. c. coniecit verba „scorti lenones" ab interprete verbo „sedent" adscripta deinde in continuitatem

versus immissa id expulisse, ad quod pertineret „quasi"; versum igitur sic fere scriptum fuisse: Quasi [muscae in lacte de] sident cottidie. Non recte autem Ritschelius in usu particulae quasi offendit; nam exempla supra allata satis docent particulam quasi saepius notioni adverbiali adiectam significationem vocis „fere" accepisse. Et quamquam maiore gravitate simplicem „quotidie" vocem esse concedimus, non videmus tamen, cur poeta „fere" vel „quasi cottidie" dicere non potuerit. Denique ne collocatio quidem particulae quasi offensionem movere potest, si comparamus exempla Capt. I, 1, 12. (80.) II, 2, 36. (286,) III, 1, 29. (489.) Merc, I, 1, 90. IV, 2, 4 sq. (695 sq.) Pers. II, 3, 6. (258.) Quid vero, si quasi non ad quotidie sed ad verbum sedent pertinet et quasi sedere nostro verbo: hocken, kauern: respondet. Duobus enim aliis locis quasi cum verbo coniunctum legimus Curc. III, 89. (460.) Qui monet quasi adiuvat Most. I, 1, 48. (51.) Quasi invidere mi hoc videre, Grunio. ubi item „quasi" nostro: "gewissermassen" respondet. Cf. etiam Capt. II, 2, 36. (286.) Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi'st.

Quum igitur particula „quasi" ut supra, vidimus similitudinem designet, sequitur, ut post comparativum poni non possit; ponitur autem „quam si" dum „quam" ad comparativum „si" autem ad insequens verbum pertinet. Men. V, 6, 3 sq. (968 sq.) Ut absente ero rem eri diligenter Tutetur, quam si ipse adsit, aut rectius. Merc. V, 4, 62. (1022.) Si quis prohibuerit plus perdet clam, quam si praehibuerit palam. Pers.

III, 1, 25 sq. (353 sq.) Non ego inimicos omnes pluris aestumo *) Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi. Pseud. II, 2, 45 sq. (640 sq.) Verum si dare vis mihi, Magis solutum erit quam si ipsi dederis. Bacch. III, 3, 5 sq. (409 sq.) Minus mirandumst illaec aetas si quid illorum facit, Quam si non faciat. Nihilo minus interdum apud Plautum post comparativum non „quam si" sed „quasi" legimus. Aul. II, 2, 54, Tu me bos magis hau respicias natus quasi numquam siem. Mil. gl. II, 6, 1 sq. (481 sq.) Satin abiit ille nec erile hic negotium Plus curat, quasi non servitutem serviat. Item post „secus" et „sectius" cum negatione. Amph. v, 1, 26. (1078.) Nec secus est, quasi si ab Acherunte veniam. Cas. pr. 46. Quasi esset ex se nata non multo secus. Capt. II, 3, 57 sq. (417 sq.) Nam quasi servos meus sis, nihilo sectius Opsequiosus [tu] mihi semper fuisti. Poen. IV, 3, 13. Quasi in popina haut est secus. **) Verum non difficile est intellectu cur Plautus particulam „quasi" in his enuntiatis usurpaverit; negatione enim adiecta comparativi vis tollitur. Hinc iam elucet formam versus, Trin. II, 1, 30. (265.) qualem Ritschelius eumque secutus Brixius praebet, ferri non posse „Nam qui in amorem praecipitavit peius perit quasi saxo saliat." neque etiam reliquas Ritschelii coniecturas. Haud dubie in hoc enuntiato comparativus „peius" ab interpolatore profectus est, qui fortasse propter subsequens „quam si" quod iam tum in

*) Ita cum Spengelio l. c. p. 31. hunc versum scribo.

**) Ritschelius N. Pl. Exc. p. 64. sic hunc versum scribit: Tenebrae, latebrae: bibitur, estur quasi in popinad, hau secus.

libro suo legit, comparativum et recte quidem desideravit. Quem si retinemus, "quasi„ poni non posse sed „quam si" ex iis, quae adhuc disputavimus, satis apparet. Quum vero „quam si" metrum non ferat, solum „quam" autem a nostro poeta pro „quam ut" quidem, nusquam autem pro „quam si" positum sit, recte iam a Fleckeiseno comparativus „peius" omissus et pro solo ablativo „saxo" „de saxo", quod iam Hermannus coniecit, scriptum est.

Aliud restat exemplum, in quo item haud dubie a correctore quodam quasi in quam mutatum est. Trin. II, 4, 7 sq. 408 sq. quod apud Ritschelium, Fleckeisenum alios sic scriptum legimus: Non hercle minus [evorsi sunt nummi] cito, Quam si formicis tu obicias papaverem. Prior versus in solo Ambrosiano legitur codice, ex quo Studemundus eruit fere haec: non hercle minus divorse distrahitur cito. Est sane magna codicis Ambrosiani auctoritas; sed ne eum quidem ab interpolandi contagione usquequaque liberum esse Ritschelius pluribus iam exemplis demonstravit. In reliquis libris omnibus hic versus deest; neque equidem ad concinnitatem sermonis inter versum 7 et 9 quidquam desidero, videtur mihi adeo illo versu sententia magis turbari quam explicari. Lesbonico enim interroganti, quid argento a Callicle accepto, factum sit, Stasimus respondit: Comessum, expotum, exunctum, elutum in balineis; Piscator, pistor apstulit, lanii, coqui, Holitores, muropolae, aucupes. et ut designet, quanta celeritate argentum consumtum sit, addit: confit cito Quasi si formicis tu obicias papaverem. Haud dubie verba

illa codicis Ambrosiani, quae post „confit cito" leguntur et hoc loco prorsus languida sunt, ab interprete quodam ad explicanda verba „confit cito" margini adscripta itaque postea a librario textui inserta sunt. Particulam „quam" autem, quae in libris omnibus hodie legitur, recte iam Acidalius eumque secutus Hermannus in „quasi" mutaverunt.

VITA.

Natus sum Carolus Fuhrmann Neo-Lebusae a. d. IV. Cal. Aug. anno h. s. XXXV. patre Guilelmo, matre Maria, quos acerbissima morte mihi ereptos valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola publica imbutus sum. Annos XVI. fere natus a Schoenaichio, Francofurtensis parochiae superintendente, viro optime de me merito summa cum benevolentia in litteris eruditus in primam classem gymnasii Francofurtensis receptus sum, quam directore beato Poppo, viro clarissimo per duos annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus anno h. s. LVIII. Halas Sax. me contuli ibique per tres annos theologiae studiis me dedi. Tum in vico quodam Brunswigiae biennium praeceptoris domestici munere functus sum. Inde ut in philologica studia incumberem Gryphiswaldiam me contuli. Per virum beatum Vogt, rectorem magnificum in civium academicorum numerum receptus per septem semestria scholis interfui v.v. cl.

Schoemanni, Susemihlii, Georgii, Useneri, Hoeferi, Schaeferi, beati Haserti, Michaelis, Buecheleri; quorum multa in me merita pio gratoque animo agnosco. Singularem vero gratiam habebo viris summis Schoemanno et Usenero, qui me seminarii philologici sodalem auctoritate, doctrina, benevolentia multis nominibus devinxerunt; Georgio et Hoefero, quorum alterius philosophicae, alterius germanicae societati plurima debeo; Susemihlio, qui studia mea etiam privatim magna comitate fovit.

Jam aestate anni h. s. LXVI. gravissimo morbo affectus et tantopere afflictus sum, ut aegre mortem aufugerim. Viribus denique refectis anno sequente Bonnam me contuli, ubi iuvenem quendam — A. v. Usedom —, quem iam antea institueram, ad examen, quo huius anni autumno maturitatis testimonium nactus est, instruxi. Ibi etiam studia mea Plautina, quae post breve initium morbo interrupta erant, iterum suscepi et dissertationem inchoavi, quam Coloniae, ubi per annum versans puerum ad quartam gymnasii classem praeparavi, perfeci.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Grammaticorum doctrinam: apud Plautum in interrogationibus obliquis indicativum pro coniunctivo positum esse, non recte se habere.

2. In Plauti Amph. I, 1, 17—20 (170—173) verba: „aequom esse id putat non reputat quid laborist“ interpolata, totum autem locum sic scribendum esse censeo:

   Dominús dives óperis et éxpers labóris
   Quodquómque accidít lubitu té posse rétur:
   Numquam aéquom anne iníquom imperét cogitábit.

3. Cas. III, 5, 25. sic scribendum esse:

   Quid est? póssum ego istuc scíre ex te quíd sit
   negóti?

4. Bacch. IV, 8, 60 sq. (900 sq.)

   Illa aútem in arcem hinc ábiit aedem víssere
   Minérvae. nunc apertast: i vide sítne ibi.

5. Poen. I, 2, 101.

   Víden ut pleni oculí sorderum qui erant iam
   splendént mihi.

6. In Senecae epist. 91, 21 codd. lectionem „malam molitionem“ vel „malam olitionem“ falsam et solam lectionem Gronovianam „malam opinionem“ probandam esse.